



# IACOBI SADOLETI DE LIBERIS RECTE . instituendis LIBER.

---

*IACOBI SADOLETI AD GV-  
lielmum Bellium Langaeum, De liberis recte in-  
stituendis LIBER.*

**E**VRIPIDIS est, in Andromacha opinor, non tam formam fœminæ, quam virtutes esse quæ delectent coniugem. Te verò Gulielme Bellai, optime amicorum omnium, quanta oportet affici voluptate: qui eam vxorem nuper duxeris, cuius ad egregias animi virtutes atque dotes species ac forma adiuncta sit, digna electissimis moribus: quos habuit quidem illa vnde disceret, nata in familia nobilissima, & in eis educta quotidianæ vitæ consuetudinibus, quæ splendorem & elegantiam optimi generis apprimè redolerent. Sed tibi certè contigit ex tui animi sententia, ut tales haberet, qualem semper optasti. Nam cùm etiam tu antiqua nobilitate, & claris maioribus procreatus, plura, ac multò præstantiora ornamenta tibi ex virtute acquisueris, iis quæ à natura & à fortuna multa ac magna accepisti. Sanè fuit equum, ut sociam thori, atq; vitæ eam tibi adiungeres, cuius ingenium & virtus tuis humanissimis moribus responderet. Maximè autem in hoc laudanda F R A N C I S C I Regis nostri sapientia est, & consilium summo principe dignum, qui quod cæteri ferè in equis & canibus, ipse præcipue in viris facit, ut prouidentiam omnem adhibeat, quò ex spectatis vtrinque generibus electi in hoc sanctum fœdus matrimonij conueniant, ut ex bonis parentibus nascatur progenies, quæ postea & Regi, & patriæ possit esse utilis. Etsi in eo præterea necessaria esse disciplina quedam videtur, quemadmodum domi ali atque institui debeant pueri atque adolescentes. Quo de genere nos, cùm nuper nescio quid conscripsissimus, viam patri-

li 2

bus,